Doctissimo Amicissimoque Viro
Jo. Henr. Leichio
S. D.
P. Wesseling

Quas nuperrime, cum Dissertationum de Prisillianistis exempla ad te allegarem, properantius agebam gratias, eas eam maxime itero. Debeo certe tibi, Praestantissime Leichi, plurimum, qui & muneribus me augere & praedicare luculenter institueris: quamquam hac in re minus te prodigum maluissem: neq enim nostra illa tanti erant, feremq adeo impatientius laudum earum cumulum, nisi ex tuo eum candore metirer. Possem profecto paria; sed nolo te in os. Istud tamen ingenii acumen atq insigne humanitatis & modestiae, quod ubiq sedulo praestas, officium laudabo impense. Quid de eruditione varia? dictionis jucunditate & mellitis carminum versionibus? Sed ego ineptus

396 v

qui imprudens admisceo, quae silentio me praeteriturum significavi. Accipe potius Animadversiones, nisi tu cerulas miniatulas malis, quas inter legendum tuis adscripsi sed eo animo, quo mittuntur, hoc est benivolo & veri studioso. Incipiam cum Epigrammatibus, quorum III. in Merionem Diodorus Siculus inseruit L. V. c. 79. Ediderat & Jo. Sambucus inter τ͂ παλαιῶν Ἡρώων Ἐπιτάφια post Aristaeneti Epistol. p. 91 postque cum Anthologia Wecheliana in Epigramm. Auctario p. 6. Credo ex Aristotelis sumtum esse Peplo, uti pleraq. illa Sambuci. Hoc vero te aut ignorasse aut oblitum esse nemo, nisi plane absurdus, carpserit. Quam enim multa hoc de genere annumerari possunt, quae in vulgus prodita fuisse viros doctissimos latuit. Jensium vide, cujus pleraq. omnia ante publicata prodiisse, ipse nosti, & ostendi posset uberius, si locus hic requireret. Ea tangam, ad quae tu adhaesisse mihi videris. Corrigis Jensianum Epigr. XVII, & Δοβύρϛ vocem speciose refingis. ego justam legitimamq. censeo cum L. Holstenio ad Stephani Δόβηρος. Censuisti etiam Epigram. XXXV. versum postremum hendecasyllabum esse: quales hexametris pentametrisq. jungi verissime mones. Aliud tamen

citra dubium decresses, si in mentem venisset,
πλώοιμι ἐγερθ' ὄδθον ἀπ' ἀΐδεω δαμε
exemplar Holstenii ad Stephani Ἰκαριά.
Mutas & sanum colorem reddere niteris Epi-
gramm. XCVIII. At istud, a Suida saepe ci-
tatum, Jensius mutilum dedit. Ἐπιπρίσδα
γένειον & ἄνικα δειλὰν ὕδατα φυγᾶν verissi-
mum videri, docebit L. Kusterus ad Suidae
Ἀργ. Deniq. offendis, & quis non prima impetu?
ad Alexandri Aetoli Epigr. CXXIX. in Alcmanem,
quod haud paullo melius est in Plutarcho
περὶ Φυγῆς p. 599., longe tamen nitidius in Sal-
masii Exc. Colin. p. 580. & Holstenii Not. in
Steph. Δασκύλιον. Debuisset sane Cl. Jensius
paullo correctius ea Epigr. vulgare, & potuisset
utiq., si animum intendisset. sed haec illi condo-
namus, tibi vero in primis, qui illud de Merione
recensuisti. Redeo ad tua, et XVII. quidem, cujus
τοίχων ὀρθὰ ἐπιβεβρεγμένων forte rectius vertetur
parietibus recte sive recta quassatis: si enim corruis-
sent, eequa manere thalamus potuit illaesus?
Fortasse quoq. verius erit Ὃς ἰσοφαρίζεσθαι ὑψι-
λοδον — sub quibus latentem &c. Mihi quidem
certe id commodius & elegantius accidit. In
XIX Ἐξ ἁλὸς ἡμίβρωτον ex mari semianimem
latine facis. Ego semi adesum, quod vocabuli
ipsius & epigrammatis series postulat. Vide
nunc, sanumne sit Ὃς χλιὸν & λοίγιος. Tu
opinaris. ego diversa sequor. Si semi adesum ex
undis piscatores extraxerunt, non utiq. integrum
terra accepit. Arbitror fuisse Ὃς χλιὸν & λοιγός.

Ita sermonis consuetudini & poetae sententiae fiet satis. Piscatores senicum eum naufragi cadaver una cum piscibus defodiunt. Itaq non eum totu terra, sed pro reliqua carne voraces eos pisces tegebat. Haec planissima. Epigram. XXI. μελίπτερον μενφίνα versus proscribit. Μελεσίπτερον Suidas, qui prius Distichon excerpsit in Ἀργιλώδης, dabit, quod, me arbitro, melius: melius etiam πανίσπερον ὕμνον ἀείδειν, quod in Mss. Anthologia ante plures annos legere memini. πανεύπτερον ὕμνον vereor ut defendere queas. Adde simillimum Epigramma εἰς Ἀκρίδα καὶ Anthol. L. III. p. 384., & considera, an ἱστῶν Παλλάδος Ἀλκυόνα absurde Antipater adpellarit pectinem textorium flebilis & stridili soni quem sequenti Epigr. ἀηδόνα parili translatione nuncuparit. Sed hinc abire tempus est. In curis tuis secundis optime expedivisti ET CYRIACO, quod saepe mihi molestum pari opera confixi ad Diodori L. XIV. c. 90., neq impune transmisi ΟΥΔΕΙC ΑΘΑΝΑΤΟC, de quo tu probe, in ejusdem L. XX, c. 80. accepit quoq locum ΘΑΛΑCCΑΠΑΣ-ΤΗ, sed in Indice, si bene memini. Addidi utiq opportunum hoc ex Vettii Valentis Anthol. L. IV. ἐπιορκοῦσι δὲ τὰ ἐνάντια, μήτε γῆ βατή, μήτε θάλασσα πλωτή, μήτε τέκνων σπορὰ &c. In quibus uti me consentientem habes, ita de tuo adsensu mihi gratulor. Perge vero, optime Leichi, literas, quibus decus concilias, a contemtu vindicare & Constantini Imp. opus de quo memorasti, bonis avibus absolvere. Equidem laudabilibus istis conatibus semper favebo, nec committam, ut humanitatis officiis posterior videar. Diodorus, si qua id scire desideres, intra sex septemve dies praelorum angustias eluctabitur tandem. Tu vale & me ama. Jube Menkenium & Waltheru, viros doctissimos, a me salvere. Dab. Traj. ad Ren. adib. Julii CIↃ IↃ CC XLV.